

בש" הקבה

שינוי השם

SEV DE

MVTATIONE NOMINIS

Ad illustranda varia Scripturae Sacrae Loca

IN AVDITORIO PHILOSOPHICO
ACADEMIAE VVITTENBERGENSIS
DISPVTABVNT

PRAESES

IOHANNES MONETA
PHIL. MAG.


ET

RESPONDENS

AVGVSTVS FRIDERICVS GRAVN
WAHRENBRVCCENSIS SAXO
S. S. TH. STVD.

A. O. R. M DCC XXII. D. XXIII. SEPT.

WITTENBERGAE, LITERIS GERDESIANIS.





הקדמה:



Ne expectes hic L. B. seriem quandam uel elenchum auctorum, ut uocantur, Pseudonymorum, qui nomen, quod prae se ferunt, mentiuntur, [illegible] dam, siue nescio quam gloriae affectationem prorsus neglecto: cum id ipsum multorum iam commentationibus illustratum sit; ut uel nostrum teruncium addere superuacaneum foret. Sed in eo maxime labor ac praesens uersabitur studium, ut inquiram: cur, quo iure, et quo fine a ueteribus haec nominum mutatio fuerit instituta? sic enim locis Scripturae S. non paucis lucem multam affundi posse, uidebis. Hoc, ut non iniucundum, imo longe utilissimum est; ita iam haec praefatus, ipsam rem exordiar.

§. I. Nomen absolute, uel cum addito *proprium*, ex ore CICERONIS (1) est, quod unicuique personae datur, quo suo quaeque proprio et certo uocabulo appelletur: siue iuxta *Non.* MARCELLVM, ipsum proprium singularum nomen rerum, quod uoce barbara etiam *indiuiduificum* appellatur, quia indiuiduis tantum, et maxime singularibus inhaeret, eaque ab aliis eiusdem speciei distinguit (2). Eiusmodi uero propria nomina, cum non solum rebus inanimatis (3), sed etiam anima-

1.) Lib. I. de inuention. p. m. 92. B. PHILO *Judaeus* uocat σύμβολα τῶν γεννητῶν lib. de mut. nom. Opp. p. m. 1046.

2.) Aliud enim est nomen *appellatiuum*, quod et *uocabulum*, cuius scil. significatio est communis pluribus, quod ex VARRONE de ling. lat. lib. 7. notat. A. POPMA de diff. Verb. Lib. III. p. 169. solent tamen et haec mutari, uel ob temporis mutationem; rerum ipsarum conditionem uel meliorem uel deteriorem; locorum praeterea dialectusque diuersitatem; nec non personarum, aliarumque circumstantiarum respectum. Unde tandem ista Synonymorum farrago etc. uid. LACTANTII diu. instit. Lib. VI. c. 15. p. m. 486. sq. coll. ERASMO de cop. uerb. Lib. I. p. m. 24. 28. et SCHWARZII diss. de fatis uocum quarundam Altorff. 1714. edit. §. 1. sqq.

3.) E. gr. regionibus, urbibus etc. quanquam et ista mutationis fortunam subeant, quod notitia orbis cum ueteris, tum noui ex doctiss. CELLARIO haurienda, satis comprobat. Confer adhaec Num. XXXII. 38. Jos. XV. 8. coll. 2. Sam. V. 8. 1. Par. XII. 4.

animatis; hisque uel animantibus brutis, uel hominibus alligari soleant: missis iis, de nominibus hominum saltem in praesenti solliciti erimus. Est autem hic mos, homines proprio ornandi nomine, cum ipsa humanitate ortus, eiusque usus omnibus et ubique familiaris (4). Primus quidem huius ritus auctor merito censendus est DEVS, ordinis amans, hominem primum ADAMVM (5) nominans, qui [illegible] 20.) continuauit, et hic in posteros deriuauit. Quo magis enim in dies multiplicabatur hominum genus; eo magis oportebat personas ab inuicem diuersis nominibus distingui: nisi miram ubique confusionem expectare uoluisses. Palam enim est, nominum homonymiam multa subinde incommoda secum trahere, alias non metuenda. Melioris proinde ordinis ergo, cuique homini, mox postquam in lucem exclusus est, constans ac determinatum nomen adsignari, fas est: quod apud *Ebraeos* uel in ipsa natiuitate, (non tamen ut uim haberet sacramenti 6); uel in circumcisione octauo post partum die, (ut hodie in baptismo, quocunque fiat die) actum est. *Graeci* lustratus solemnitatem seu nominalia instituebant 7. 10. imo 13. die. *Romani* circa pueros, nonum, circa puellas (7) octauum diem obseruare (8) soliti erant.

§. II.

4.) Conf. HOMERI Odyss. Θ. u. 550. sqq. *Atlantes* tamen, gens Africae, degeneres sunt humani ritus, ut nulla inter eos sit nominum appellatio, teste PLINIO in hist. nat. Lib. V. c. 8. SOLINO in Polyh. c. 31. p. m. 291. MELA de sit. orb. Lib. I. c. 8. HERODOTO Lib. IV. p. m. 280. *Alex.* ab ALEXANDRO Gen. dier. Lib. II. c. 25. Simile de imae *Aethiopiae* incolis narrat SCALIGER in subtilit. Exerc. CCLXVI.

5.) An Adam sit nomen proprium? negat CLERICVS in Comm. in Gen. Proleg. diss. I. p. 2. conf. tamen Dn. DANZIVS in Interpr. Ebr. Chald. p. m. 68. not. FESSELIVS aduers. Sacr. T. II. p. 30. sqq. SCHVDT in trifol. Ebr. p. 90. BOECLERVS T. I. diss. Acad. p. m. 327.

6.) Quod adstruit BEBELIVS in hist. Eccl. Antedil. p. 26. HEIDEGGERVS in hist. patriarch. P. I. Exerc. III. §. 57. 58. quorum hypothesin examinat BVDDEVS in hist. Eccl. Vet. Test. Tom. I. p. 129. 130.

7.) *Sinenses* tantum filiis certa nomina imponebant; filias uero secundum ordinem natiuitatis uocabant primam, secundam, tertiam, etc. uid. TRIGANTIVS Lib. I. de Christ. expedit. ad Sinens. c. 8. FRANCISCI *Indianischer Sitten-Spiegel* p. 839. apud J. C. MAENLING *in den denckwürdigen* curiositaeten c. 14.

8.) Vid. ARISTOTELES in hist. anim. Lib. VII. c. 12. *Alex.* ab ALEXANDRO l. c. PFEIFFERVS in Antiqu. Gr. Lib. IV. c. 26. LOMEIERVS de lustrat. Gent. c. 27.

§. II. Ius imponendi nomen patres, ceu domini totius familiae ordinarie (9) sibi uindicarunt, hocce in negotio uel expressum DEI [illegible]; uel qualitatem infantis [illegible] nati; uel circumstantias natiuitatis, loci, temporis singulares; uel memoriam rerum ante, uel tunc gestarum; uel similitudinem cum alio; uel spem futurorum et bonum omen respicientes (10). Numero uero nomen unicum antiquitus tantum, deinde plura (11) imponebantur, quae per totam uitam constantia ac certa quisque ordinarie tenuit; donec ea in morte tandem una cum humanitate rursus deponeret.

§. III. Dixi, ordinarie homines nomina primo sibi collata inuariata retinuisse. Ob speciales enim nonnunquam rationes mutationem cum praenomen, tum cognomen passum est: qua pristinum in aliud, siue eiusdem, siue diuersae significationis; uel ex toto, uel saltem ex parte, in rei plane singularis memoriam transformabatur. Ritus huius post hominum memoriam antiquius exemplum in Sacris nullum agnoscimus, quam *Abrahae* et *Sarae* (12), licet sequioribus temporibus magis familiaris eua-

9.) E. g. 2. Sam. XII. 24. Extraordinarie etiam matres, quod patet ex Gen. IV. 1. 25. c. XXIX. 32. sqq. c. XXX. 24. c. XXXV. 18. Exod. II. 10. Jud. XIII. 24. 1. Sam. V. 20. Luc. I. 60. Vid. quoque HOMERI Odyss. Σ. v. 5. sed tamen nunquam sine praeuio consensu patris, quod obseruandum contra GALATINVM de Arc. C. V. c. 18. uid. Gen. XXXV. 18. et Luc. I. 59. 60. 62. 63. ubi *Zaccharias* filiolo suo destinato consilio nomen tum temporis non adeo frequens, at uero hodie longe frequentissimum (*) JOHANNIS scil. imposuit, dissentientibus cognatis et amicis; nam et hi aliquando ius nomen imponendi exercere soliti erant. uide Ruth. IV. 17. coll. HOMERO l. c.

(*) Nonnulli existimant ob hanc causam, quod domus, quae IOHANNEM aliquem capiat, libera a tonitru et fulmine esse credita olim fuit. Vid. ZEILERI Misc. lit. N. p. 340. *Beduvinorum* autem, insulae Sokotorae incolarum, foeminae omnes MARIAE uocantur, quia nomen iis *foeminam* significat, teste DAPPERO in Afr. p. 657.

10.) Singularis plane ritus, ex absumptione candelae ardentis nomen faustum et infaustum diiudicandi, ueteribus usitati, meminit CHRYSOSTOMVS ad 1. Cor. II coll. LOBBETIO Lib. III. de pecc. prop. et FRANCKIO in diss. de imposit. nomin. §. 26. Caeterum non iniucunda obseruatu hac de re habet MONTACVTIVS de rebus gestis Salom. Lib. I. c. 16. p. 47. et QVENSTEDTIVS in Syn. antiqu. Iud. et Chr. MSS. p. m. 147. sq. Conf. hic etiam KVNTZII Sched. de uiris nomine et omine illustribus, Ienae nuper edit. etc.

11.) De origine cognominum legi meretur B. NEVMANNI diss. hab. Witteb. 1683.

12.) Quod contra GROTIVM, CLERICVM et SIMONIVM erudite probat Dn. LOESCHERVS de caus. L. E. p. 20. sq. Solent enim

euaderet. Notabimus autem circa hanc nominis mutationem I) *differentiam*, II) *modum*. III) *diuisionem*, IV) *occasiones*, et V) *finem*.

§. IV. Differt itaque haec μετονομασία א) ab ὀνοματομορφώσει, qua nomen ex idiomate ignotiori in notius transfertur (13), ut tamen res significata uocabulo aequipollenti exprimatur: quam accuratius diceres *uariationem nominis*. ב) ab ἀντίφρασει, quando aliquid uel ob molestiam et odium; uel iucunditatem; uel modestiam; aut etiam irrisionem indignationemue; contraria uoce enunciamus: ut quando Matricidas, Philometros; Patricidas, Philopatros; Fratricidas, Philadelphos; et maxime inhumanos, Euergetas; ex Ptolemaeis suis Aegyptii uocarunt (14). ג) ab *alteratione nominis*, quando alicui uel ob uirtutes singulares, uel ob uitia praegrandia nouum subinde cognomen inditur: quae haud raro pro mutatione strictiori sumitur. ד) ab ὀνοματοποιΐα, cum nomen rei plerumque a sono eius fingitur etc.

§. V. Mutantur autem nomina α) *adiectione* uel *detractione* unius literae; uel β) integrae syllabae; γ) per μετάθεσιν seu *transpositionem* literarum, quod fieri solet in *anagrammatibus* (15) praecipue; tandem δ) pristino saepe penitus repudiato, noui cuiusdam electione et assumptione: de qua ultima nomen permutandi ratione imprimis hoc loco, quae nobis iam nihil aliud est, quam nominis plane noui impositio, et pristini saepe plenaria reiectio, ob rationem maxime singularem facta.

§. VI. Diuiditur μετονομασία I) ratione *auctorum* in diuinam et humanam. II.) *Personarum* α) in sacram (16) et profanam, β) propriam et alienam; γ) illustrium et plebeiorum seu priuatorum. III.) *Modi* α) in simpli-

---

in obseruatione nominum alias Judaei esse tenacissimi, ne quid cum paganis haberent commune. Hinc ELIAS LEVITA in הקדמ׳ משורגמן maiores suos laudat, quod in captiuitate Aegyptiaca tria retinuerint inuariata: שמותם מלבושם ולשונם וג׳

13.) E. g. ex Germanico in Graecum, uel Latinum, cuius specimen nuper prodiit Franckenh. 1720 et Aut. C. W. P. G. quae non est huius loci.

14.) Nescio, an fallantur, qui existimant P. R. tit. *seruum seruorum* se appellantis κατ᾽ ἀντίφρασιν ita dici, cum Dominus Dominorum in hac terra esse, opere ipso affectet. uid. plur. de hoc tit. P. R. *Dor.* ASCIANI seu *Matth.* ZIMMERMANNI Mont. Piet. p. 30. 49. BECMANNI Synt. dign. p. m. 194. 1275. sq. et pecul. *I. F.* MAIERI diss. Witteb. 1685. edit.

15.) Quorum primum usum Ebraeis uindicat DICKINSON in Delph. Phoenic. p. 23.

16.) Quam prolixius peculiari libro enarrauit PHILO *Iudaeus* Opp. p. 1044 sqq. edit. Francof. 1691. fol.

ſimplicem et compoſitam; β) communem et ſpecialem; γ) formalem et materialem; δ) totalem et partialem; ε) propriam et metaphoricam. IV) *Rerum* in α) ueram ſeu realem, et fictam ſeu rationis; β) phyſicam et moralem. V) *Finis* in talem α) ob rem planam; uel myſticam ſeu typicam; β) ad memoriam rei alicuius uel conſeruandam, uel delendam. VI) *Adiunctorum* in talem α) ob honorem uel ignominiam; β) in bonam et religioſam, ſeu malam et ſuperſtitioſam; γ) in uoluntariam et inuoluntariam: unde cuiuſcunque generis ſarcaſmi et myſterismi proueniunt, qui Germanis *Spott- und Läſter-Nahmen* audiunt, (e. g. 2. Sam. XVI, 7.) δ) in arbitrariam et adſtrictam. VII) *obiectorum*, quoad creaturas uel inanimatas, uel animatas. VIII) *Temporis* fit α) ob praeteritum, praeſens et futurum; β) in momentaneam et ſucceſſiuam; γ) conſtantem ſeu perpetuam, et (17) alternantem ſeu temporariam; δ) antecedentem ſeu priorem, et conſequentem ſeu poſteriorem, etc (18).

§. VII. Multae iam nominis mutandi occurrunt occaſiones, interque eas I) *inaugurationis ſolemnia* ſe offerunt, et quidem α) REGVM. Mos enim erat antiquiſſimus, ut *Regibus* (et nonnunquam *Reginis* etiam) boni ominis cauſa nomen aliquod uotiuum acclamaretur, quod ut plurimum nomini baptiſmali praeualebat, ne quid regiae maieſtati deeſſe uideretur (19). Aliquando Reges ipſi ſuum nomen mutabant, partim ut *aemulos* ſe praeſtarent uiri alicuius magni (20); uel ſaepe etiam ob uanam *ſuperbiam*, *diuinitatiſque affectationem* (21.). Haec uero omnia,

17.) Diſtingue itaque *binomines*, ab iis, qui habent *binomium*, ut bene monet REVIVS in VALLAM ad Act. XIII. 9. apud Crit. Angl. Tom. VII. Solent enim ob uarias rationes homines binomines fieri, cuiusmodi exempla ſiſtit *Gv.* SVRENHVSEN in ספר המשנה p. 91. th. 2.

18.) Scilicet, quando quis nomen ut dicunt, aliquod fatale non ſolum ipſe non aſſumit, ſed eius uſu poſteris etiam interdicit. Quorſum nomina quaedam, quae nonnullis Regnis fatalia eſſe creduntur, pertinent. Eiusmodi nomen infauſtum, et hominum male de Republ. meritorum, *Romani* ſuae gentis nulli imponendum uoluerunt, apud GELLIVM in noct. Att. p. m. 200. *Graeci* uero nedum pronunciari, quod probat exemplum *Heroſtrati* apud GELLIVM p. m. 49. coll. *Val.* MAXIMO Lib. VIII. c. 14. p. m. 478. quod etiam ſibi eueniſſe conqueritur oſtraciſmo e ciuitate pulſus THEMISTOCLES in Epiſt. ad Alcet. p. m. 7.

19.) Conf. hic JVSTINVS hiſt. Lib. X. c. 3.

20.) Ut *Alexianus* poſtea *Alexander* apud HERODIANVM Lib. V. c. 7. p. m. 246.

21.) Hinc iſtud antiquorum ſtudium genealogias, familias, et cognationes ſuas a diis repetendi e. g. in *Alexandro* apud CVRTIVM p. m. 173. *Antiocho* 2. Mac. IX. 5. 12. 28. *Herode* Act. XII. 21. 22. 23.

omnia, ut uanitatis ſunt plena, ita ab *Ebraeis* plane reiiciebantur: (ne quid cum gentibus commune haberent) apud quos ſcil. humilitas Regum utramque fecit paginam, quam adeo iiſdem quaſi iniungebant. Hinc, ut in omnibus ad Iudaeorum mentem ſe componeret, et ſic facilius eos ad ſe traheret Rex Regum CHRISTVS, etſi nomen ſupra omnia nomina habuit (Phil. II, 9), humillimus tamen erat, ac erga omnes facillimus. Quod uero diuerſis ſubinde nominibus appellatur, fit ideo, ut iis tum eius perſona; locus natiuitatis; tum praecipue uirtutes et officia adumbrarentur, uid. Matth. I, 11. 23. Eſ. VII, 14. quae nomina iam acceperat, antequam eſſet natus. Alias Reges eorum mundani eodem ſemper nomine utebantur, niſi forte regnum aliunde accepiſſent: tunc enim fuit mutatum ab eo, a quo regno admoti erant. Sic e. g. Pharao Necho *Eliakim* uocauit *Ioiakim* 2. Reg. XXIII, 34. et Nebucadnezar *Mathaniam* dixit *Zidekiam* 2. Reg. XXIV, 17. Solet enim mutatio nominis ordinarie ſignum dominii eſſe: ut, ſimulac iſti recens nomen pronunciarent, ſtatim ſubiectionis ſuae memores redderentur, ne quid in praeiudicium et fraudem eius molirentur, cuius gratia regno potiti, quemque ut ſuperiorem reuereri obligati ſint. Nec minus β) *Pontifices* R. (22) inde *ab Sergio* II. ſub initium regni ſui eccleſiaſtici nomen baptiſmale in aliud quoduis (23) migrare iubent, quo deinceps per totum uitae curſum, uſque ad articulum mortis utuntur, ubi ſcilicet iſtud, priſtino iterum aſſumpto, ſaepe deponunt (24). Iudicium de hac P. R. nominis mutatione lege apud *Polydor.* VERGILIVM (25), qui ita: *primus bonos R. P. habetur, ut, ſi minus pulchro honeſtetur nomine, ei ſtatim creato liceat illud mutare,* u. g. *ſi homo maleficus antea forte fuerit, ut Bonifacius appelletur; ſi timidus Leo; ſi ruſticus Vrbanus; ſi improbus, Innocentius; ſi impius, Pius; ſi ferox, Clemens; ſi male audierit, Benedictus: ut ſaltem nomine Pontifex ornamento ſit dignitati.* Ita quidem

22.) Eandem conſuetudinem ſectantur *Patriarchae Conſtantinopolitani et Ruſſorum*, niſi quod apud hos obtineat mutatio nominis adſtricta etc. uid. BECMAANNI ſynt. dign. p. m. 539.

23.) Excepto ſolo PETRI nomine, quod nullus eligit, et ſi forte antea eo fuit uſus, poſt electionem in caput Eccleſiae ſcilicet! deponit, partim, ne quis ſecundum ſe diuo Petro ſtatuat; partim, quia ſuſpicantur, fore, ut dignitas Papalis in ſecundo Petro olim exſpiret. uid. BECMANNI. c. p. 1285. coll. MAYERO in Comm. de elect. Rom. P. c. VII. § 2. p. 166.

24.) Vid: BECMANNI. c. p. 538. et 1324.

25.) de inuent. rerum Lib. IV. c. 10. coll. WAGENSEILIO in diſſ. de elect. R. P. §. 22.

dem naturae suae malitiam Papicolae tegere satagunt, quorum omnis pietas solis ritibus ac ceremoniis tantum absoluitur, de interna cordis uoluntatisque rectitudine parum solliciti, uel nihil, quibusque superstitio pro religione est.

§. VIII. Insignem etiam mutandi nominis occasionem dedit *in ipso indiuiduo mutatio* II.) *status et conditionis*, uidelicet, si quis apud *Romanos* e numero *seruorum*, *liber* declararetur: tum enim iste nomini suo nomen et praenomen illius, a quo manumissus erat, praemittebat (26). Seruis enim nomen mutare alias non erat licitum. *Danieli* autem contra accidit. Olli nempe cum sociis, postquam libertatem amiserant, a praefecto aulicorum alia nomina imponebantur, uid. Dan. I, 7. si coniecturae locus est ideo, ut eos hac ratione praefectus quoque ad religionis mutationem eo facilius traheret, quos cum ueteri nomine, etiam religioni pristinae nuncium missuros existimabat, et prae multis aliis elegit, ut Regi olim seruirent. Non minus *Iosepho* Pharao nomen *Zophnath Paaneach* indidit, Genes. XLI, 45. sed ut *nouo honori* etiam noua auctoritas accederet (27). Imo quoque ob *matrimonium contractum* nominis mutatio solebat suscipi, quod euenit *Barsillai* Esr. II, 61. Neh. VII, 63. et *Estherae* (28), postquam ab Ahasuero in thalamum fuit adscita; quae antea *Hadassa* uocabatur, Esth. II, 7. Sequuntur enim hodie adhuc uxores non solum in usu honorum, sed et nominis, maritos suos. Apud *Ebraeos* tamen etiam *praeceptores discipulis* suis, (quos scil. prae coeteris curarunt) noua nomina indere subinde soliti erant: quod patet exemplo *Salomonis*, quem ex instinctu diuino Nathan uocauit *Iedidiah* 2. Sam. XII, 25. ut forte eum hac ratione ad maiorem erga DEVM reuerentiam ac timorem inuitaret, quo eius

26) uid. *Oct* FALCONERIVS de Pyram. C. Cestii Epul. apud GRAEVIVM T. IV. p. 1478. et *Sertorius* VRSATVS de notis Rom. apud eundem T. XI. p. 552. *Onuphr.* PANVINIVS de antiqu. Rom. nom. apud eundem T. II. p. 1192.

27.) Integra de hoc nomine extat PFEIFFERI diss. in append. dub. uex. p. 100. sqq.

28.) Disceptant inter se Critici, an nomen sit Persicum, an Chaldaicum? Vide, si placet, PFEIFFERI Onomast. S. MSS. Tit. IV. §. 1. DRVSIVM in Obseru. Lib. XII. c. 3. HILLERVM in Onom. p. 621. BVRTONVM in λειψ. Ling. Pers. p. 105. PFEIFFERVM in dub. uex. p. m. 484. sq. coll. SELDENO de iure haereditar. c. IV. p. 19. sqq. pluribus.

amore se dignum exhiberet. Saepe *discipuli* ipsius *praeceptoris* nomen referebant, (e. g. *Iudas Lebbaeus* a *magistro* dictus fuit *Thaddeus*, Matth. X, 3 etc.) forte, ut gratam eius memoriam penes se conseruarent, tanquam qui saepe cum Alexandro plus debeant praeceptoribus, quam parentibus. Similem in modum magister cum erudita lingua quibusdam ex discipulis suis nomina commutauit, quos scil. prae aliis ad magna praestanda elegerat: ut eos ad constantiam et fortitudinem, diligentiam item in futuro officio adhibendam hortaretur. Ideo enim *Simonem* dixit *Petrum* Matth. X, 2. Marc. III, 16. coll. Matth. XVI, 18. *Iacobum* uero et *Iohannem* filios *Zebedaei*, sibi familiarissimos, uocauit *Benebargem* Marc. III, 17. tanquam quos euangelium strenue, cum emphasi, ac intrepide prae aliis praedicaturos; sicque regnum DEI multum amplificaturos esse cognouit (29). Conf. Psalm. LXVIII, 34. Huc etiam trahere potes III) *adoptionem*, a) quidem in *numerum deorum* apud paganos: ne quis putet consecratos homines unquam fuisse (30). Idem facere tenebantur, quos *Romani* in numerum *ciuium*, aut *equitum* suorum recipiebant (31), imprimis, quos in *filios* (32) adoptabant. Tum enim is, qui adoptatus esset, integrum nomen adoptantis ferebat, suum uero multa ratione uariatum recenti adiungebat. Nam haeredem ea saltem conditione faciebant, ut nomen eius ferret, filiusque illius, qui adoptabat eum testamento, esse diceretur. Ex modo dictis istis Scripturae S. effatis lucem aliquam foeneramur, ubi electi dicuntur nominati secundum nomen DEI, et liberi DEI, e. g. Deut. XXVIII, 10. Ier. XV, 16 Dan. IX, 19. Es. LXII, 12. coll. Leu. XI, 44. Rom. VIII, 16. 17. Rom. IX, 26. Gal. III, 26. 1. Ioh. III, 10. Natu-

29.) Varias uariorum circa hoc nomen sententias nunc non moror, uid. easdem apud Criticos Anglic. in Marc. III, 7. T. VI. coll. PFEIFFERO in dub. uex. p. m. 908. sq. et LIGHTFOOTO in hor. Talm. in Matth. X. 2. HILLERO in Onom. p. 117.

30.) Vid. *Olaus* BORRICHIVS in antiqu. urb. Rom. fac. c. 8. apud GRAEVIVM T. IV. p. 1554. DEMPSTERVS in ROSINI antiqu. Rom. p. m. 300. coll. LACTANTIO de fals. relig. Lib. I. c. 21. et *Alex.* ab ALEXANDRO Gen. dier. fol. 325. b.

31.) Idem l. c. fol. 251. et 107. a.

32.) *Onuph.* PANVINIVS de nomin. Rom. *Anton.* AVGVSTINVS Libr. de leg. apud. GRAEVIVM T. II. p. 1207. et 2044. *Iacobus* CVIACIVS Obseru. lib. VII. c. 7. *Pet.* FABER Semestr. Lib. I. c. 14.

Natura enim omnes homines serui sunt Satanae 1. Ioh. III, 10. filii irae et mortis Ephes. II, 3. Postquam autem DEVS ex infinita misericordia sua nos in Christo elegit; fideles nunc dicuntur populus DEI, peculium DEI; (Exod. XIX, 5. sq. Mal. III, 17. Ioh. I, 11. Tit. II, 14.) nunc *Christiani* (33), Act. XI, 26. coll Iac. II, 7. a Christo, tanquam qui nos liberauit e seruitute Satanae, et in quo etiam iusti uncti sunt Spiritu S. Adeoque, qui nomen liberatoris nostri gerimus, imo fratres eius sumus, Matth. XII, 49. 50. olim etiam eiusdem cum eo haereditatis participes fiemus, et id quidem iure gratiosae adoptionis per fidem in eum (34). Vid Rom. VIII 14-17. coll. Gal. III. 26-29. Eph. I, 5.

§. IX. Ipsa saepe numero *rei ac obiecti qualitas* IV) *μετονομασίας* occasio est. Sic enim ob *typicam liberationis e seruitute Satanae per Christum instituendae, repraesentationem, Hoseas* uocabatur, *Iosua*, Num. XIII, 9. coll. 17. Aliquando id contigit *α*) ad *memoriam* rei bene gestae, aut quam amamus, uel *conseruandam*, et ad similia in futurum praestanda, aut perseuerantiam in bono, *adhortationem*; ut *Gideoni*, qui dictus fuit *Ierub Baal*, quia altare Beli uastauerat Iud. VI, 25. coll. VII, 1. Sic etiam Iacob filium *Benoni*, uocauit *Beniamin*, quia a Rahele in lucem editus erat, quam prae Leah amauerat, Gen. XXXV, 18. Vel β) ad *memoriam* rei malae, quae nos afflixit, quamque serio detestamur, *delendam*. Sic ob moerorem *Naemi* uocari uoluit *Mara* Ruth. I, 20. Sic uallem, ubi *Achan* delicti sui poenas dederat, ab eo cognominarunt quidem; sed eius nomine in *Achor* mutato, ut scil. cum nomine tota eius, delictique commissi memoria deleretur (35), ne quis ad similia perpetranda forte in posterum accederet, sed rem et poenam horreret, Ios. VII. 24. 26. et id ad aspectum loci, nominisque pronunciationem. Nonnunquam *congratulatio* ob rem strenue actam; uel rei insignis ac plane admirandae futurae *certitudo* ac *confirmatio* mutationem nominis causata fuit. Illa quidem in *Israele*, qui antea *Iacob* erat uocatus, Genes. XXXII. 28. haec autem in *Abra-*

33.) Conf. QVENSTEDTII Antiq. bibl. c. XIV. p. 919. sqq. et BVDDEI diss. de origine, dignitate et usu nominis Christiani, h. b. Ien. 1711.

34) Vid. pluribus *Frid.* DEVTSCHII diss. de adoptione fidelium in liberos DEI, edit. Regiom. 1701.

35.) Alia hic uia Romanos et Graecos incedere, docui supra not. 18.

hamo et *Sarah*, Genes. XVII. 5. 6. 15. 16. (36). Similiter ob *praedictionem malorum futurorum* nomen *Pashur* in *Magur* mutatum legimus Jer. XX. 1-6. Ad *fraudem* uero *tegendam* (37) *Iacob* nomen *Esaui* ad tempus adsumsit, Genes. XXVII, 19. Praeter haec sunt aliae adhuc rerum conditiones, scil. si nomen pristinum uel *obscoeni* aliquid in se contineat, ut *Sergii* II. P. R. qui ante dictus fuit *os porci*; uel *fatale* existat. Tum enim frequenter, imprimis a superstitionis sectatoribus, aliud nomen eligi sueuit. Mitius sentiendum est de iis, qui nomina personarum mutant, ut *in casu necessitatis securitati* prospiciant suae, dum non semper ueritatem nudam sistere conuenit. Ex quo fonte *uniuersam* fere *mythologiam* profluxisse arbitror. Si enim Poetae semper uera cuiusque nomina expressissent, a priori nossemus, quid eorum fabulae sibi uellent? et innumeris coniecturis (38), aliquando otiosis

36.) Variorum sententias uid. in Crit. Angl. T. I. super h. l. coll. PHILONE Opp. p. 1053. sqq. CLERICO in h. l. et PFEIFFERO in dub. uex. p. m. 113. sqq. et 160. sqq. *Wilh.* MOMMA in Oecon. Patriarch. p. 66.

37.) Conf. idem PFEIFFERVS p. 142. sq. l. c.

38.) Ita certe est. Merae saltem coniecturae sunt, quae de sensu fabularum Poëticarum in medium afferuntur, quasque a posteriori saltem colligimus: scilicet ex conuenientia circumstantiarum fabulae, et rei suppositae. Ubi enim maior deprehenditur circumstantiarum harmonia, ibi probabilius concludere possum: Poëtas hic respectum maiorem habuisse, quam ubi eiusmodi ὁμολογία non datur. Sic e. g. quia *immolatio Phrixi* maiorem conuenientiam habet cum *immolatione Isaaci*, quam quidem *Iphigeniae*; probabilius est, Poëtas ad istam magis respexisse, quam ad hanc. Obseruanda uero haec sunt contra M. *Frid. Andr.* HALLBAVERVM Fac. Phil. Ien. Adi. V. C. qui in nupera diss., qua sacra in profanis exposuit, §. 17 pag. 13. contra *diss. meas de immolatione Phrixi*, superiore anno editas, monuit: *etsi maior detur conuenientia inter Phrixum et Isaacum*; tamen Cel. BVDDEI ac MAII sententias non esse reiiciendas aut improbandas, qui cum *Isaaco Iphigeniam* contendunt; cum eadem historia multis saepe fabulis a Poëtis describi soleat. Verum, neque ego istorum sententias improbo, sed saltem non tali NB. probabilitate gaudere, qualem mea habet, (ut dabunt ipsa uerba mea, si recte inspiciantur) assero. Est enim mea probabilior, quia maiorem sistit utriusque conuenientiam, quod, V. C. ipse fatetur. Vi oppositorum ergo, in qua re nulla datur circumstantiarum harmonia, ad eam neque Poëtae in fabula alludunt. Quo posito, *sacrificium Saturni* ad *Abrahamicum* trahere non possum, quia hic nulla datur ὁμολογία, nam praeterea, quae in diss. mea posteriori §. VII. dicta sunt, filios suos omnes deuorasse legitur alibi etc. uid. COMMODIANI instruct. adu. Gent. Deos p. m. 5.

tiosis, plane uacare possemus. Sed uero illis propter temporum iniquitatem aliquando ad hoc asylum confugiendum erat.

§. X. Solet etiam mutatio nominis V) *conuersionis* et *poenitentiae* signum esse. Veteres enim Christiani uel de Iudaismo, uel Paganismo ad Christianorum castra transeuntes, nomen pristinum deposuere: ne quid amplius cum iis haberent commune, a quorum coetu erant egressi (39). Imo a Iudaeis mutationem nominis inter *media iustificationis* (40) relatam esse, legimus: quasi mutatio nominis integram integri hominis mutationem inferat. Propterea R. EPHRAIM in ג׳ דברים מכפרים שינוי השם ושינוי עיר גבורים inquit: מקום ושינוי המעשה וג׳ Quibus gemina leguntur in Cod. Talm. ראש השנה fol. 16. col. 1. et MAIMONIDE in Cod. תשובה Quemadmodum enim poenitentia apud eos ad articulos funtamentales refertur (41); ita mutatio nominis magnam, quin praecipuam eius partem constituit. Haec enim uim istam habere creditur, quasi homo peccator ad DEVM diceret: אני אחר ואיני אותו האיש שעשה אותן המעשה וג׳ Ex quibus nonnulli cum AMBROSIO, SCHIKARDO et BVXTORFIO *Iun.* diuum *Paulum* ansam sumpsisse praesumunt, quod nomen *Sauli* post sui conuersionem in *Pauli* commutauerit. Quod quidem mihi non aeque probabile uidetur; quia fabulas sapit Iudaeorum, quas Apostolus toties serio detestatur (42). Iam uero indignum fuisset doctori, si culpa ipsum redarguisset: cum imprimis longe alia uerae poenitentiae sint fundamenta. Alii *Paulum* ita dici uolunt a *Sergio Paulo* Pro-consule Cypri (Act. XIII, 7.) (43), quem primum omnium ex gentibus imperio Christi subiecit. CHRYSOSTOMVS a DEO nomen accepisse autumat. Alii his Apostoli nominibus ad corporis eius

 qua-

39.) Vid. EUSEBII hist. Eccl. lib. VIII. c. 21. et HOORNBECKIVM in Misc. sacr. lib. I. c. 17. p. 502.

40.) Conf. WITSIVM in Misc. sacr. P. II. Exerc. XXI. p. 702. P. H. OTHONEM in lex. Rabb. Phil. p. 467. sqq. BUXTORFIVM in praef. concord. Ebr. et *Iuniorem* in ספר קבוצים Tmem. 16. p. 14. HACKSPANIVM in Cabb. Iud. §. 147. p. 23.

41.) uid. Rabb. *Ioseph.* ALBI ס׳ עיקרים Orat. IV. c. 25. sqq.

42.) e. g. 1. Tim. I. 4. c. IV. 7. et 2. Tim. IV. 4. Conf. hic tamen *J. M.* LANGII comm. de genealogiis nunquam finiendis, et fabulis Iudaicis, Norib. 1696. edit.

43.) Ita uult HIERONYMVS, VALLA, ZEGERVS etc. in Criticis Angl. l. c.

qualitatem et ſtaturam reſpici (44) aiunt. Ego cum ERASMO, GROTIO, REVIO, DRVSIO, LIGHTFOOTO, CALOVIO, putarim: eum binominem fuiſſe, et pro duplici relatione hebraeum Sauli, ac poſtea ob conuerſationem cum gentibus, Pauli nomen, a priori non adeo alienum, retuliſſe (45). Id, quod multorum exemplorum inductio, ueterum monumenta inſpicienti, comprobat (46). Proinde, qui ſibi perſuadent, Apoſtolos, ubi de *nouo homine* et *noua creatura* loquuntur, ad hunc Iudaeorum ritum reſpicere: mihi quidem aliquid admittere uidentur, quod *Fanaticiſmo* congruum eſt, et *Pontificiorum* de B. O. ſententiam maximopere iuuare poteſt. Cum tamen longe aliam uerae conuerſionis et poenitentiae indolem eſſe, ueri Chriſtiani ex S. literis clariſſime doceantur, ut fabulis eiuſmodi nullus merito locus relinquatur.

§. XI. Alium effectum mutationis nominum *Iudaei* in eo collocant, quod eadem VI) ad *uitae prorogationem* facere credatur. Nugantur enim, quouis anno ineunte tres libros aperiri: unum pro ſumme impiis; alterum pro ſumme iuſtis; tertium pro intermediis: ex quibus priores ſtatim ad mortem, inſcribuntur, ut, niſi reſipiſcant, proximo anno uel morituri, uel in grauiſſimum morbum certo prolapſuri (47) ſint. Hinc Iudaei cum grauiſſimo morbo conflictantes, nomen ſubinde deponere, et nouum adſciſcere, in ſignum ſeriae poenitentiae ſolent, rati, ſi mors nomina ſua in libro a DEO accepto non inueniat, ut ſe praetereat. Dicunt enim (48): שינוי השם מקרע דינו של אדם Eiuſ-

44) Vid. HILLERI Onomaſt. p. 914. PASOREM in Etym. nom Propr. p. 46.

45.) Conf. Crit. Angl. in Act. XIII. 9. Tom. VII. LIGHTFOOTVM in hor. Talm. in 1. Cor. I. 1. CALOVIVM in bibl. illuſtr. ad Act. XIII. 9.

46.) Collegit talia BRAVNIVS in ſelect. S. lib. I. cap. 2. §. 29. ſqq. coll. §. 36. p. 34. coll. FABRICIO in bibl. antiqu. p. 595. ſq.

47.) Vid. BVXTORFII ſynag. Iud c. 23. p. 482. ſqq. p 696. et praef. Conc. Ebr. conf. etiam *Rich.* SIMONIVS ad LEONEM MVTINENSEM de cerem et conſuetudin. moder. Iud. p. 163. *Iob.* d' ESPAGNE T. II. Opp. f. 111. ſqq. etc. Imitatus hos eſt nuper A. 1667. ualetudinis recuperandae cauſa, nuperus Perſarum Rex *Schach Seſi*, ut conſtat ex TAVERNIERII Itin. Part. I. lib. V. c. 1.

48.) Conf. HACKSPANII Miſc. lib. II. c. 8. §. 6. p. 263.

Eiusmodi ineptiis miseri Iudaei se pascunt, qui alias mori satius ducebant, quam in nomine IEsu Nazareni sanari (49). Et quidem ex S. literis u. g. Exod. XXXII, 32. Ps. LXIX, 29. frustra omnino de libris uitae et mortis, fabulis suis praesidium aliquod quaerunt. Haec enim non proprie sunt accipienda; uerum saltem memoriam DEI gratiosam inuoluunt: qua eos ab aeterno iam cognouit, qui olim in eum per Christum credituri essent (50). Praeterea solent etiam Iudaei nomina aliorum mutare sic, ut ex literis initialibus cum nominis, tum cognominis, nouum aliquod producant, e. gr. in ר״שי ר״דק ר״מבם ר״לבג וג׳ quod tamen solius *compendii* ergo fieri nouimus. Quis uero istam nominum mutationem *superstitionem* habere matrem, non uidet? nullus enim ex ea ad homines effectus redundat (51); multi tamen nescio quid mysterii aut sacramenti subesse somniant. Quo nomine etiam ridiculi sunt *Religiosi* et *Monachi*, eorum nomina immutantes, quos in ordinem suum recipiunt (52). Conqueritur istud et sibi euenisse LVTHERVS, dum in baptismo *Martinus*, in monasterio autem *Augustinus* uocatus fit, qui tandem cum indignatione addit: *monachos hisce mutationibus testatos esse, defecisse se a Christo et baptismo.* Alios rursus *uana ambitio* et *inanis superbia* uexat, et nescio quae *antiquitatis affectatio.* Sic enim *Petrus* LAETVS, *Iulius Pomponius* LAETVS; *Iohannes* DOVSA, *Ianus* DOVSA; *Lucilius* VANINVS, *Iulius Caesar* VANINVS, nominari maluerunt (53): ubi uero iis, qui forte intendunt similia, saniorem omnino mentem precamur.

§. XII.

49.) Cuius memorabile extat exemplum in Cod. עבודה זרה fol. 27. 2. Conf. *Iac.* RHENFERDIVM in Opp. Philol. p. 215.

50.) Conf. Luc. X. 20. Phil. IV. 3. Apoc. III. 5. c. XIII. 8. c. XX. 12. c. XXII. 19. et elegantem *Seb.* SCHMIDII diss. de deletione e libro uitae, edit. Argent. 1655.

51.) Euolue BVDDEI thes. de Ath. et Sup. c. IX. §. 6. p. m. 751. sqq.

52.) uid. LVTHERI Comm. in Gen. c. XXXVI. fol. 537. coll. *Edm.* MARTENE de antiqu. monach. rit. p. 677.

53.) Merito exagitantur in CL. MENCKENII Charlatan. p. m. n. 209.

§. XLI. Quemadmodum autem omnes actiones propter finem aliquem fiunt, ex quo etiam sunt aestimandae; ita quoque haec nominis mutatio ex suo fine diiudicanda est. Vbi tamen notes et discrimen facias uelim, inter μετονομασίαν diuinam et humunam. Illa quidem sine omni controuersia mysterii aliquid continet, et aliquando mutationem morum cum nomine simul intendit (54). Aliquando promissiones homini factas in memoriam eidem reuocabat, ad augendam in dies fidem et constantiam (55). BECMANNVS (56) eam ideo *sacramentum maximarum rerum* appellat. Quae uero ab hominibus est suscepta mutatio, non eodem pretio semper est habenda. Si enim aut memoriam rei bonae conseruandam; aut malae delendam; et cum ea scandali euitationem; si quoque ex aliis causis licitis ac ciuilibus nascitur; aut honesti uiri licitam aemulationem intendit; non adeo est improbanda. *Nihil enim mali est honesti hominis nomen adsumere* (57). Quam autem fraus, superstitio, uanitas aut superbia genuit; eam non solum illicitam, sed praeterea etiam in DEVM iniuriam iure meritoque pronunciamus: eo quod foedus, quod cum Numine in baptismo pepigimus, per istam studio uiolatur. Plura ob angustos satis, quibus hic loci, nescio cur? circumscribimur, terminos, addere iam non licet.

ע א " מ ב ל

54.) Teste PHILONE de mut. nom. opp. p. 1055.

55.) Conf. HILLERVS in Onom. p. 497.

56.) In synt. dign. p. 539.

57.) Vt docet ULPIANVS apud GRAEVIVM T. II. p. 1207. conf. etiam p. 1192. et L. un. Cod. de mutat. nom. ab Imp. DIOCLETIANO latam. Vid. praeterea CICERONEM lib. II. ad Herenn. §. 42. p. m. 27.

